



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis  
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz  
Toletani è Societate Iesv**

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

§. 7. De Beneficentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

## De Beneficentia. §. VII.

**B**eneficentia est bonus affectus voluntatis, operi coniunctus, quo propter Deum in omnes, quos possumus, beneficia conferimus. Hanc charitatis actionem præstitit semper Saluator noster; de quo scribitur: *Quòd pertransit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.* Hæc etiam alio nomine vocatur benignitas, quæ breuiter definitur, Bonorum feracitas. Actor. 10.  
30.

Incitamenta ad Beneficentiam sunt: I. Quòd fraterna charitas, absque operibus beneficentiæ satis nulla aut exigua est, si ea præstare non valeamus: Remque per se utilissimam, nempe charitatem in fratres, nostra culpa inutilem facimus. Iuxta illud Iacobi: *Si autem frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis, illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Iaco. 2. 15.

II. Beneficentiæ opera sunt hostiæ Deo

Deo acceptissimæ, quas sibi in lege gratiæ mactari præcepit, illisq; non aliam mercedem, quàm ipsum Deum omnium bonorum fontem, acquirimus. Vnde Paulus : *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.*

Heb. 13  
16.

III. Omnia creata, tum visibilia, tum inuisibilia, nos ad beneficentiam inuitant. Nihil enim est in rerum natura, ex quo aliquod beneficium non accipiamus. Quædam quippè in nos conferunt beneficia refectionis, quædam voluptatis, quædam eruditionis, quædam correctionis. Valde autem reprehensibile est, quemquam inter tot res beneficas nõ esse beneficum, & tot tantaque recipientem nihil dare, neque se proximis suis vtilem & benignum præbere. Operemur ergò bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.

Actiones beneficentiæ sunt : I. Beneficia temporalia & spiritualia doctrinæ, consilij & exempli, pro facultate omnibus domesticis, & externis

II. Hæc eadem cum à nobis petuntur, statim sine vlla mora libenter, atque hilariter dare.

III. Cum nihil à nobis postulatur, si proximo vtilia erunt obsequia nostra, vel ad ostensionem amoris necessaria, ea gratanter ingerere.

IV. Ignorantes, & nihil de nobis cogitantes, cum Deo gratum fore putatur, operibus pietatis afficere.

V. In gratiam & vtilitatem temporalem aliorum, aliquam incommoditatem sustinere; & pro salute eorum spirituali etiam vitam temporalem periculo exponere.

VI. Pro beneficijs exhibitis ab homine nihil laudis, nihil gratitudinis, nihil compensationis expectare, sed præmium bonorum operum Dei approbationem habere.

VII. Ita tandem dare, quomodo vellemus accipere.

Postulatio beneficentiæ. Domine  
 IESV Christe, Sol iustitiæ pulcherrime, qui omnes illuminas, omnes foves, omnes (quod ad te attinet) tuo  
 aspectu

118 DE VIRT. CHARIT.

Isa. 35. 5

aspectu viuificas, de cuius tempore prædictum est: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum.* Da nobis inter alia innumera, quæ à tua benignitate recipimus, benignitatis affectum, & profusum in proximis beneficiorum effectum, vt dum nostra cura eis benefica volūate partimur, & tibi similes simus, & maiora dona de tua largitate recipiamus. Amen.

*De Virtute Prudentia.*

C A P V T V I.

**S**ICVT fides inter virtutes Theologicas, ita & Prudentia inter virtutes morales primum locum obtinet. Afficit enim intellectū, cuius actio (vt diximus) voluntatem præcedit, & vniuersas hominis vires dirigit. Prudentia autem multas ac varias habet species, partes, & comites, quas Theologi, præsertim sanctus Thomas, latissimè prosequuntur. Nam si species eius consideremus; altera est prudentia, qua quis regit

D. Thom.  
q. 47.